



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla XVI. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ad jus commune, cap. *Cum dilectus* 8, circa fin. Ext. *De consuet.* Nam & si quid in statutis desideratur, à Jure communi suppleri solet, per text. in l. 2, C. *De noxal. action.* Idem est in dispensationibus, quæ & odiosæ sunt, eò quod adversus jus commune concedantur; ac proinde strictam quoque interpretationem recipiunt, per textum in cap. 1. cap. 2, *De filiis presbyt. in 6. cap. 3.* Ext. *De consang. & affin.* Quà ratione & decimæ in feudum olim laicis concessæ, ad decimas novalium non producuntur, cap. *Tua* 2, §. *fin. De decimis.* Quippe juri communi adversum est, ut laici decimas possideant, cap. *Causam* 7, *De prescript. c. Prohibemus* 5, *De decimis.* Similiter omnia privilegia & rescripta odiosa dicuntur, quæ tendunt in præjudicium alterius, atque idcirco hoc sensu accipienda sunt, ut quàm minimum alteri noceant, cap. *Quamvis* 8, *De rescript. in 6. l. 2. §. si quis à Principe* 6, D. *Ne quid in loco publ. l. Rescripta* 7, C. *De precib. imp. offeren.* Neque movet S. C. *Macedonianum*, quod licet odiosum sit, & tantum de numerata pecunia loquatur, interpretatione tamen juris porrigitur ad frumentum, vinum & oleum, mutud datum fisionam. l. *Item* §. *mutui* D. *Ad S. C. Maced.* quia id accidit, ne fraus fiat S. C. *Macedonianum*; facile enim creditores hac arte eludere possent S. C. auctoritatem, submittendo hujusmodi merces, quæ postea à filiofamilias redigerentur in pecuniam numeratam; sic sine effectu esset S. C. *Macedonianum.* Adde quæ de pœnis dicam

ad cap. *In panis inf. eod.* Atque hæc de odiosis. Quæ autem favorabilia sunt, interpretatione juvantur & extenduntur; ut sunt beneficia Principis, quæ, ut inquit Javolenus, quàm plenissimè interpretari debemus, l. 3, D. *De constit. Princ. & text. in cap. Olim* 16, Ext. *De verb. signif. in cap. Cum dilecti* 6, in fine *De donat.* Quod sit, ut, si cui tempore interdicti permissum est celebrare vel audire divina officia, idem permissum intelligatur & ejus domesticis, c. *Licet* 11, *De privi. lib. 6.* & concessio decimarum alicujus parochiæ comprehendat etiam novalium decimas, cap. *Ex parte* 27, Ext. *De decimis.* Et sic de cæteris beneficiis Principis, quatenus scilicet concernunt jus Principis concedentis: nam quoad jus tertii strictissimè accipienda sunt: cum huius prospectu beneficia odiosa sint. Semper enim illud in beneficiis Principum tacitè inest, ut ita profint, dummodò aliis non noceant, ut jam antè declaravimus. Ubi tamen beneficia Principum ambitiosa sunt, etiam si alteri non noceant, nihilominus receptum est, ut in his interpretatio adhibeatur, in odium impetrantis; veluti, si cui provideri mandatum est de beneficio Ecclesiastico. Nam huic de pensione provideri non poterit, c. 4, *De praben. lib. 6.* Et impetratio beneficii Ecclesiastici, suppresso alio, quod possidetur ab impetrante, nullius momenti est; nisi forte moru proprio diserte emissâ esset, cap. *Si motu* 23, *De praben. lib. 6.*

REGULA XVI.

Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum,

Quid beneficium sit, per se planum est: modò hæc meminerimus beneficii nomine & privilegium contineri, per textum in l. 3, D. *De constit. Princ. in l. Ex factis* 43, circa princ. D. *De vulg. & pup.* Videtur hæc Regula desumpta ex cap. *Sicut* 16, *De praben. lib. 6.* ex cap. 1, in princ. *De privileg. eod. lib.* Atque ad eò obtinet, ut etiam per generalem legem postea latam, l. 3, C. *De silentiar. & decur.* aut per concessionem generaliter vel specialiter factam, text. *optimus in cap. Si propter* 10, *De rescript. lib. 6. cap. Veniens* 19, *De prescript.* nihilò magis beneficio derogetur. Quia non præsumitur Princeps jus alteri concessum auferre velle, nisi id expressè contestetur, c. *Quamvis* 8, *De rescript. in 6.*

Sed an rectè à Principe expressis verbis privilegium revocari possit, dubitationis est. Et licet sint qui distinguant privilegium concessum subdito ab eo, quod non subdito concessum est, quod illud regulariter revocari possit, hoc vero minime; And. Gail. lib. 3, *Obs. 6. in fine* D. *Peckius lib. quem vide.* & *Felin. ad cap. Novus num. 7. cum seqq. D. De judic.* mihi tamen probabilius videtur, Principem beneficium à se semel datum, etiam subdito suo, revocare non posse: quippe Princeps ex consensu suo non minus obligatur, quàm privatus, propter naturalem æquitatem, quæ dicat, ea, quæ semel placuerunt, servanda esse, l. 1, in princ. D. *De pact.* At quis dubitat, naturali æquitati subiectum esse Principem? Quà ratione non ablus.

absurdè dicitur, Principem, etiamsi ob summam ejus auctoritatem legibus absolutus sit, tamen idèd legibus alligatum esse, quòd se sponitè legibus subjecit, per textum in l. digna vox 4, C, De testam. junctà l. Est receptum 14, D, De jurisd. Nihilominus dubitandum non est, quin Princeps ex causa possit condere novam legem; item privilegium ex causa possit alteri auferre: puta si privilegiatus abutatur privilegio, can. Privilegia

x1. qu. 3, cap. Tuarum 11, Ext. De privil. cap. Contingit 45, De sent. excom. vel in Principem ingratus sit, ex l. fin. C, De revoc. donat. Vide Felin. ad cap. 1 nu. 6, De probat. ad eus Novus De jud. vel alius scandalo, propter privilegium, cap. Suggestum 9, De decimis, vel si reipubl. utilius sit cessare privilegium, aut potius in alium transferri, arg. l. Item si verberatum 15, i. 2, D, De rei vind. l. Lucius 11, D, De evict.

REGULA XVII.

Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum.

Hæc Reg. superiori non valde dissimilis est, huc conjecta ex c. Commissa 1, De elect. lib. 6, ex c. penult. & ult. Ext. De secund. nupt. Eundem enim effectum beneficium habet, sive à Principe, sive à iure (cujus auctor Princeps est, l. fin. C, De legib.) concessum sit. Et sicut Princeps interdum ex causa beneficium suum revocat, prout præcedenti Reg. dictum est; ita & juris beneficium nonnumquam auferit, nonnumquam moderatur, uti videre est in beneficiis S. C. Macedoniai & Vellejani: quæ licet juris beneficia sint,

multis tamen casibus restringuntur, ex causa, l. 2, & l. 5, C, Ad S. C. Macedon. l. Fœminis 83, l. Si mulier 22, cum legib. seqq. C, Ad S. C. Vellejan. Numquam tamen Juxta potest juris beneficium alteri auferre aut denegare; cum hic juris minister sit, & à præscripto juris eum recedere non oporteat, l. Nemo 13, De sent. & interloc. l. fin. in fine C, Si contra jus vel util. publ. c. 1, De sent. & re jud. nisi quatenus lex ipsi permittit, ut in l. 3, l. 4, §, si quis condemnatus D, De re judic.

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Convenit cum l. Quod initio 19, D, h. eod. tit. Extant hujus Reg. exempla in c. Si eo 9, De rescript. lib. 6, inc. Licet 4, De sent. excom. eod. lib. 6, Eiusque usus latissime patet. Nam non solum locum habet in ultimis voluntatibus, l. pen. D, eod. §. præterea in Inst. Quibus non est permiss. sac. test. cum similib. verum etiam in contractibus, l. Inter stipulantes 83, §. sacram D, De verb. oblig. l. A marito 28, C, De donat. inter vir. & uxor. in judiciis, c. 1, Ex. De sent. & re jud. l. Si expressim 19, D, De appellat. in rescriptis Principum, c. 1, De rescript. lib. 6, cæterisque actionibus: cum id, quod vitiosum est, id est, perperam factum, pro infecto habeatur, juris interpretatione, l. Quoties 6, D. Qui satisf. cog. c. Quæ contraria in hoc tit. Unde impossibile est, ex eo ul- lum effectum subsequi, etiam accedente diuturnitate temporis; quippe tempus non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis, l. Obliga-

tionum 43, §. placet D, De oblig. & act. Quòd accidit, ut & sponsalia à minoribus septennio, vel matrimonium ab impuberibus contractum, tractu temporis non convalescant; eò quòd inutiliter eà ætate contrahantur, cap. 1, De spons. impub. lib. 6, Nisi fortasse, superveniente legitimâ ætate, per novum consensum sponsalia vel matrimonium confirmantur, expressè vel tacitè, d. cap. 1, vel nisi ratihabitione meâ, quod malè ab alio gestum est à me comprobetur, de qua ad cap. Ratum cum cap. seq. inf. eod. Verum hæc novo consensu, non tractu temporis firmantur.

His obiicitur text. in l. pen. & ult. C, Si major fact. alien. & in l. unica C, De contractib. jud. quibus locis alienatio inutilis, temporis cursu confirmari videtur. Sed respondetur, alienationem illis textibus non tam cursu temporis, quàm tacito consensu ipsius domini, qui ex lapsu tanti temporis præsu-